

G. 10.

TRIVMPHVS
SERVATO
RIS NOSTRI IESV CHRIS-
TI, EXPVGNANTIS INFE-

ros, Et ascendentis in Cælum: In

Memoriam Nostra Re-
demptionis.

Cl 3630

ORNATISSIMIS AC SPECTATIS-
simis viris, dexteritate, virtute, sapientia &
humanitate præstantibus, Danieli Ludovico
Vico Gott, ac reliquis inclytæ reipub Bern-
burgensis consvlibus, senatoribus, pieta-
tis & gratulationis ergo.

A. M. Conrado Schenck
Gravenbergio.



ROSTOCHII
Excudebat Augustinus Ferber Anno
M. D. LXXXII

SEERVALE

RECTORIUS
YAWVAG
M. D. C. LXXII

ACTA
M. D. C. LXXII

M. D. C. LXXII

106

ROTTOM
M. D. C. LXXII



TRIVMPHVS CHRISTI.



*E*cce redit festum Christi jã
tempus orantis,
Quo Stygia fregit tristia
claustra domus.
Quoq; ducis nigri contri-
tis viribus omne

*Imperium mortis sub sua jura dedit,
Atq; triumphali conscendit in aethera curru
Victrici referens calica signa manu.
Funderet o tantum Clarij mea vena liquoris,
Quantum Mæonide fudit Homere sua-
Celestisq; meos aperiret gratia sensus,
Et mea divina corda rigaret ope,
Quam canerem tanti meritis epinicia belli
Laudibus, & summi facta stupenda Dei,
Qui Plegetonici vastata sede latronis,
Viperei dentes fregit & ossa canis.
Ereptosq; crucis proavos è fauce Tyranni
Aethereos secum jussit adire thronos.
Est locus immenso quã panditur orbis hiatu,
Quãq; specus vasti rupta vorago pater.*

A 2 Inde

Inde graves Orci nebulas halantibus undis
Fædo perpetuus sulphure fumus olet.
Alava resonans Phlegeton incendia torquet
Flammivomis ripas sævus & urit aquis.
Sanguinis à dextra Cocytus murmurat undis,
Atro namq; fluit plena cruore palus.
Tristior his Acheron at livida cornua jungēs
Cum crassa sanie mixta venena vehit.
Hos inter fluvios, piceas interq; paludes
Sulphureo quā Styx gurgite voluit aquas.
Abdita perpetuis tenebris in nocte profunda,
Ipsa jacet nigri Regia caca Iovis. (flucto,
Hanc circum magno resonant cum murmure
Quos misceni vario flumina nigra modo.
Int o quem reddunt anima, manesq; nocētes.
Plorantium tristi perstrepat aula sono.
Hei quanti gemit o, et quā lachrymabile fatū,
Degeneres animas quod sine fine premit.
At foris adverso recubans crudelis in antro
Cerberus aratas excubat ante fores.
Hac trāsire sinit valida quos puppe per undas
Advehit inferna navita turpis aqua.
At si quos exire videt, mox ore rapaci
Retractus ima pellit in antra domus.

Huc

Huc ut pervenit migrantes Christus ad oras,
In victo clausa stant adamantæ fores.
Stant solidi postes rapidi quos nulla nec ignis
Nec ferri quatiens vis superare potest.
Nec mora corripuens manibus stridentia clau.
Impulit, impulse contremuere fores. (stra
Ingens intremuit totius machina mundi,
Et quicquid Cœlū, quicquid et Orcus habet.
Insolito Stygia fremuerunt more paludes,
Deserit infernam portitor ipse ratem.
Cæca triplex replens latratu regna irifauci
Personat & radibo Cerberus orie fremit.
Atro diducit fluidos & sanguine rictus
Ore minans sevo vulnera seva suo.
Intus at in plena caliginis arce tumultus
Magnus & in furvo nascitur orbe pavor.
Mota repentino Stygium terrore laporum
Savit & huc illuc concita turba fugit.
Ac velut innumero graviter, cū milite cinc.
Oppugnat muros hostis & urbis opes. (tus
Nil vacuum clamore vides, totamq; per urbē
Discurrunt nimio virg; puerq; metu.
Saxa ferunt, murosq; petunt, ferrumq; capes-
Adænia cum vita quoq; tuente sua. (sunt.

A 3 Sic

Sic ubi Tartaream contendens Christ9 ad ar-
Cunctipotēte fores impulit ipse manu. (cē
Omnia plena metu vidisses, plena tumultu,
Nil vacuum strepitu quicquid in arce fuit.
Perstrepat atra domus rauco clangore tubarū
Terribili resonant tympana pulsa sono.
Protinus accelerant imis è vallibus Orci
Audito sonitu percita monstra stygis. (g9,
Murmurat heu se vis animis ignobile vul-
Hei quanti gemitus, clamor & astra ferit.
Hostis adest et ad arma foras clamatur ad ar-
Va nobis heu ter maximo hostis adest. (ma,
Parsq; trabes, vectes furor arma ministrat et
(ipsis
Pars flammās, gladios, saxa, facesq; ferūt.
Heu quā terribili sua tunc clamore resolvunt
Ora, rudunq; fero per fera Regna sono.
Flammivomis atros spirant è faucibus ignes,
Obscurant fumo tectaq; nigra suo.
At Christum contra nec muri mole nec armis
Tuta nigra quicquam mōstra fuere Stygis.
Nō velut Aegides venit, seu Thraci9 Orphe-
Quos pulsasse Erebum fabula ficta refert. (us,
Sed veluti quo non virtute potentior, atq;
Heros in toto fortior orbe fuit. Anul-

A nullis cuius sapientia vincitur armis,
Qui quæ vult nutu fecit & esse vetat.
Ergo cum clausas Acherontis venit ad ades,
Ianna mox patuit cardine vulsa suo.
Ingressus tenebras Erebi dispellit ubiq;
Et splendore suo limina caeca replet.
Viq; caput radio Phæbus redimitus acuto,
Quando mane suis athera carpit equis:
Illustrat pulsa tacita caligine noctis
Quidquid inest tota solus utraq; domo.
Sic Deus ignivomi veniens in tecta latronis
Tartaream forti cum pede pressit humum,
Ipse tenebrarum nebulis & nocte fugata,
Perfudit clara mœnia luce Stygis.
Quâq; stetit signis tantus victricibus Heros
Vmbra dedit cœca noctis opaca locum.
Atq; nova Stygij tremarent cū luce dracones,
In latebras imas quisq; repente fugit,
Horribili vacuas fremitu quæ concyit auras,
Apparens nusquam territa turba silet.
Quam non Alcides, quã nō Neptunio Heros
Vnquam robusta comminuere manu,
Quam nō ulla prius domuit tortura nec ignis
Tanta cohors isto tempore victa jacet.

¶ Dicite

Dicite jã Stygÿ fera, dicite monstra latrones,
Quid vos jam fastus, altaq; verba juvant?
Nũc ubi latrat, ubi verba minantia lingua,
Arma, faces, gladiũ, saxaq; vestra jacent?
Tuque gravis quã sit nunc sentis Cerbere
Iratum valde res habuisse Deum. (sentis
Amplius horrifico sonitu non percussis auras,
Eriçtuq; faces ignis, ut antè, vomis.
At frustra Stygio cur nunc ululabis in antro?
Nil te latratu oraq; seua juvant.
Vipereo Christus dentes excussit ab ore,
Nec morsu fecit ledere posse suo.
At splendore novo viso latatur ovãq;
Carcere vincã pÿ qualibet umbra viri.
Quam prater meritũ nigras Phlegetontis ad
Trãstulit inferni lurida cymba senis. (ũdas
Cũ plausu manũ quavis ad sidera palmas
Et lachrymas inter letitiãq; levat.
Capta ligat Christus Stygie sed corpora turba
Tartareosq; duces vincula ferre jubet.
Tum verò quanti gemitus clamorq; draconũ
Auditus Sathana per fera Regna fuit.
Nam magnis Erebi valles ululatibus implent
Gestantes collo vincula dura suo,

Vab

Ab miserè tabo livantia pectora tundunt,
Nec pudet in nigras anguibus ire genas.
At Christus jussis mox ora tenere ligatis
Ex Erebo manes evocat ipse pios,
Cœlestemq; suam rursus rediturus in arcem
Divino tales reddidit ore sonos:
O meæ fœlices anime, mea pignora manes
Vestra mihi cura est vita salusq; gravi,
Per Chaos hoc ingēs, per mille pericla per ig.
Hoc tantum cœpi carpere lætus iter, (nes
Vt Phlegetontai destructa sede latronis
Livida nodarem triplicis ora canis,
Vosq; feri saevis raptos è faucibus Orci
Vt veherem superas, in mea regna domos.
Cumq; potens nostræ cessit victoria dextra
Feri famulo nostrum vertice Disq; pedem.
Agmina vos manes animo gratissima nostro
Quisq; triumphali cingite fronde caput.
Cingite fronde caput viridanti tempora lau.
Ante jacet nostros belua victa pedes, (ro,
Quæ vos, qui semper coluistis jussa suprema,
Tartareo pressit collaque vestra iugo.
In te versurus Cœlum victricibus armis,
Christianum juncti, nos comitate, gregi.

A S Dixit,

Dixit, at è cælo demissus currus Olympo
Adfuit, & lauro tempora quisq; tegit.
Nobilibus currus distinctus ubiq; lapillis
Quales Eois colligit Indus aquis.
Et gemmis, fulvo nitidus radiabat & auro
Cynthius ut claro splendet ab axe poli.
Auro rema nitet, nitet auro lucidus axis,
Quasq; sua Cælum condidit arte rota.
Deq; gravi currus, quod Sol incenderat, auro
Aurea terreni cuncta fuere globi.
Hunc super in vecto fulgenti Christo in ostro
Procedit currum nube vehente suum.
Vexillumq; sua cæleste salutifer Heros
Per liquidum forti pandit inane manu.
Viq; forent noti, domuit quos ipse Tyrannos,
Hac in vexillo verba notata micant:
Morte mea mortem vici, Stygiumq; latronē,
Peccatum delens quod necis hasta fuit.
Armaq; cum spolijs curru suspensa fuerunt,
Victoris sanctum qua petiere caput.
Cum clypeis enses, arcus, galeaq; corusca,
Et qua mortiferum spicula virus habent.
Quaq; potēs Stygijs detraxit dextra tyrānis,
His victor spolijs Christus onustus erat.

En

En subito mitis resonat clangoribus aether,
Totaque blandisonis perstrepat aura sonis:
Angelici cœtus circumstipante caterva,
Applaudunt alis, voce, manuque Deo.
Aëra perque suum late comitantur euntem
In sua ducturi regna paterna ducem.
Parsque triumphalem circum fluit undique currum,
Observans regem ut cœlica turma suum.
Pars at more ducum turmas et prævia tantum
Agmen stellantis ducit ad Astra poli.
Hos inter primus sed cœtus prævolat iste,
Qui flexo dulces concitat ære sonos.
Pars quorum fidibusque canunt, cytharique sono-
Suaviter et gracili pollice fila movent: (ris
Parsque tubas instant, suaves huic buccina can-
Huic edit dulces tibia longa modos. (rus
Hicque boum letus resonantia tergora pulsat,
Iste suis inflat cornua rauca labris.
Talibus aetherei concentibus aëra mulcent
Cœtus, atque replent solis utramque domum.
Cœcita tota tremit tellus, tremit arduus aether,
Postquam cœlestes increpuere tubæ.
Impulsaque cava valles, saltusque profundi,
Angelicos reddunt et fera saxa sonos.

Proxima

Proxima subsequitur manus & selecta virorum
Turba, sui portans Regia sceptrum ducis,
Quiq; triumphantis Christi victricia gestant
Arma, quibus Stygij tot cecidere duces:
Vnus at insignis facie formaq; decora,
Ni fallor, Gabriel Angelus iste fuit.
Erectam palmis relevans tollebat utrisq;
Ad Cæli sanctam sidera pura crucem.
Hac suspensus erat Christus cum crimina sol.
Nostra tulit sæva tristia fata necis (vens
A cruce dependent calami, fel, spongia, clavi,
Quaq; sacrum pressit dira corona caput,
Quaq; latus sacrum perfodit lancea, cæli
Quaq; ceciderunt tristia flagra ducem.
Inde trahebatur manibus post terga retortis
Collo Turba suo ferrea vincla gerens,
Quã domuit telis Christus Servator adeptis,
Multa quibus gelida corda dedere neci. (cui
Primo it Eumenidũ, supremus et arbiter Or.
Infera quẽ Sathanã nomine turba vocat.
Lucifer is superum cū non pars ultima quon.
Esset, perpulchro nomine dictus erat. (dam
At nunc dira lues facie, vultuq; tremendo,
Nullius est hominis, forma nec ista fera,
Horribi-

Horribiles in fronte faces pro lumine bino
Fulgent, vipereo barbâq; crine riget,
Osq; patet radibo diductum semper hiatu,
Circundant nigrum cornua bina caput.
At nodosa tument Lernaë terga veneno,
Cuntâq; membra nocēs nil nisi viro habēt.
Ore vomit nebulas, nigris è naribus exit
Inferna fumus pestilitate gravis. (nes
Nonnunquam Stygijs eructans faucibus ig-
Sulphure fumantes spargit ad astra globos.
Nunc huc, nunc illuc horredì luminis orbes
Iactat, & aspectu ledere quemq; studet.
Lethæi faciem seū nemo ferre draconis,
Tâmq; truces vultus cernere nemo potest.
Nodosum varios sinuatur corpus in orbes,
Scq; movet miro belua seua modo.
Iâmq; solū pedibus, jam pulsans vertice nubes
Membris conatur demere vincla suis,
Deformes quoties visus mutare figuras
Exutis priscis induit ipse novas.
Cumq; nihil cernit solitas in corpore vires,
Nil Stygias fraudes, nilq; valere deos,
Intonat, atq; furit magnam conversus in irâ,
Vincla dolēs se non rumpere posse sua.

Hei

Hei quā terribili reboantes verberat auras,
Quem nigro rugiens fundit ab ore sono,
Quamq̄ cupit laniare sinus, laniare capillos,
Et curuo malas ungue notare suas:
Sed trahitur nodis centum religatus ahenis
Torto fune nigras impediēte manus.
Nil potuere manus, nil artus corpore toto,
Innumeris plagis brachia caesa jacent.
Hinc adamantinis ibat Mors juncta catenis,
In gelido figens lumina caeca solo,
Sinciput effossis oculis, & calva videtur
Frons foveas binas instar habere specus,
Os foedum macie pallet, faciesq̄ nigrescit,
Hujus & a toto corpore sanguis abest:
Languor inest mēbris, totū est sine corpore cor.
Tabida pertenuis vix tegit ossa cutis. (pus.
Hinc fuligineo sustentans languida pinu
Et gradiēs tarde vix sua membra trahit.
Attamen haec rictus aperit, faucesq̄ minaces,
Sēq̄ animas rursus posse vorare cupit.
Heu miserabilibus totas ululatibus auras
Cōplet, sed lachrymas lumina fossa negant.
Hanc circum Furia nigris redimita colubris
Turba, manus ibat funēq̄ vincta suas.

Hinc

Hinc trahitur longa collum lassante catena
Qui Stygiae custos Cerberus arcis erat.
Hic quoque latratu complens tria guttura seuo
Nil profecturas evomit ore minas.
Sape suos rictus pandit, morsusque minatur.
Excussis quanquam dentibus ora carent.
Cocutiensque caput dirum sua vincula quassat,
Et jacet in nostrum murmura rauca Deum.
Inde pharetratus torquet vestigia Turca,
Subsequiturque suos gens scelerata duces.
Quemque fero contra Vulcano, et saevit armis,
Victorem mundi conspicit esse Deum.
Cujus & abiurans sprevit mandata, poten-
Cernit per nubes in sua regna vehi. (tem
Quosque per toties pictos in imagine vultus
Impuro turpis conspuit ore Getes.
Hos cernit tali totum fulgere per orbem,
Quale poli phœbus spargit ab axe iubar.
Heu furit, haud Christi fulgentia sustinet ora,
Nam stimulat sero conscia corda pavor.
Ducitur hinc Latus praesul, cui nomen hone-
Nimirum Papa Romula turba dedit. (stus
Vnde tuum miror clarum sis nomen adeptus
Hanc vocem novi Papa sonare patrem,

At 110

At tu non patrem sed agis scelerate tyrannū,
Dilaceras Christi qui velut ursus oves.
Hem scio te mundus divini numinis instar
Quàm venerabatur pessime Papa scio.
Vendebas memini bullas & ad arva cæli
Te quoq; jaçtabas pandere posse viam.
Et tristes animas superas revocare sub auras
Rursus & in Stygiam trudere posse lacum
Tu genus humanum terrebas fulmine diro
Quotquot erant istas pertimere minas.
Formidata prius sed jam cur fulmina, quare
Tam subito tristes conticuere mina?
Tèpora quæq; regit triplex tua Papa corona,
Teq; juvat quid jam pontificalis honor?
Incedis sane trabea, tripliciq; corona
Conspicuis, funes sed tua colla ligant.
Respice quos rasi, turpissima monstra, Cyclopes
Constipent Monachi jam latus omne tuū.
Quanta sacerdotum te respice turba sequatur,
Talia qua raso vertice signa gerit. (tur
Vnde suos noscat Satbanas, tot mille sequunt.
Quot lingua centū vix numerare queāt.
Pallor inest cunctis, jã non prapinguis, ut olim
Membra gravat tantū turpia ventris onus.
Concide-

Conciderant macie, sic corpus abiuerat omne,
Vi vix haerent ossibus ossa suis.
Lora suosq³, usus, ventres quibus atè ligabāt,
Horum stringendo jam reperere manus.
Quaēq³ tuas olim pompas est turba secuta
Maxima se gaudens pars gregis esse tui.
Hac quamvis ululet, palmis & pectora tūdat,
Pars quoq³ nunc pompa cogitur esse tua.
Hic miserabiliter plorat, scissisq³ capillis
Subsequitur nolens tēq³ tuosq³ duces.
Sed trahit invitā secum Phlegetontia turba,
Vno coniuncti quiq³ fuere iugo.
Inunc vende tuas bullas, supremaq³ claustra
Posse tua iacta te referare manu:
Ante triumphalem sic ibant ordine currum,
Quae domuit Christi mōstra virosq³ mango.
Viq³ simul plures pennis, cum Aera findunt
Naupliades mirè vociferantur aves:
Sic varias spargit voces hac turba per auras,
Dissimiles spurco fūdit ab ore sonos. (pulsat
Hic gemit ille furens manibus sua pectora
Hic ululat, rauco murmurat ille sono.
Nil vacuum luctu, sunt omnia plena doloris,
Plena metus, seruo nilq³ pavore caret.

B

Pone

Pone sequabantur, quos fractis viribus Orci
Asservit Christus summipotente manu.
Ibant quos inter primi summiq³ fuerunt,
Prisca sacros quotquot secula talere Patres.
Adam primus homo chara cū conjugē primū
Incedit cætu se comitante suo.
Ibant totiq³ viri, matres, pueriq³, senesq³,
Quot breve vix tēpus pernumerare sinit.
Quotquot erāt viridi cinxerūt tēpora lauro,
Vernaq³serta comis imposuere suis.
Maxima vix aliquo capiunt sua gaudia fine
Hocq³ manu, gestu, reg³, sonog³ probant.
Ac velut in pleno tenebrarum carcere clauso,
Tristia qui longo tempora vincula tulit,
Quando foras missus fulgentes conspicit au-
Atq³ jubar sparsum cernit ab axe poli, (ras,
Quā gaudet, gestiq³ poli spectare vicissim
Lumina non dudum lumine visa suo.
Sic illi, Stygio dudum quos carcere vincōs
Inferni tenuit vis irunculenta ducis,
Gandebant sese tenebroso è valle levatos,
Christi conspectu, luce favore, frui,
Ducentisq³ sequi summi vestigia Regis
Ad superas eius regna paterna plagas.
Latantur,

Latantur, nec habent ullum jam gaudia finē,
 Mulius & ipsorum plausus ab ore venit.
 At cum caelestes proprius venisset ad oras
 Agmen & à summa non procal arce foret,
 Tum demum praesens tibicina turba per au-
 Acrius inflato mille dat aere sonos, (vas
 Dantq; tuba signum, signū dant cornua flexa,
 T Impana dantq; suum signa redire ducē.
 Audito sonitu, quem mille tot aera dederunt,
 Confluit excelsa quisquis in aede fuit,
 Latitiāq; fremens animis exultat, ovātq;
 Principis adventu caelica turba sui,
 Atq; recepturi natum quocumq; fuere,
 Cinxerunt sanctum patris utrunq; latus.
 Vig; foras venere, vident & euntia monstra,
 Qua Christi qui vit perdomuisse manus.
 Caelicoli cætus, matresq; viriq; pavescunt,
 Et stupor illorum pectore magnus inest.
 At Pater aeternus, postquam fulgentia natū
 Vnigini propius conspiciit ora sui.
 Illius infusus collo nunc oscula libat,
 Nunc gremio refovet saucia membra suo,
 Lataq; divina testatus gaudia mentis,
 Implevit lachrymis talia verba suis:

B 2 O mea


O mea perdulcis requies, mea nate voluptas,
Ante tuae tempus qui genericis eras,
Hei mihi quot plagas, quot vulnera saeva tu.
Immerito casus corpore nate tuo. (listi,
Post celsi linguens quam nostra palatia regni
Sumpsisti misera debile carnis opus.
Ast ita nostra triū sanxit ueneranda uolūtas,
Qui sumus in trino numine numen idem,
Ut debellares hostes delapsus Olympo
Per plagas & per vulnera mille tuos,
Utq; tua mortem preciosa morte vorares,
Tartarei superans tristia iura ducis.
Sic ait hostilesq; manus uinctas & inermes,
Tunc ut erant, Stygi trudit in antra speco.
Haq; ferè totum triduum per inane feruntur
In piceam rursus quam cecidere lacuna.
At natum superam rursus deducit in aulam.
Inter hic it sanctū pneuma patremq; suum.
Numen orans inter numen procedit utrūq;
Sed triplici simplex numine numen inest.
Utq; fuit Cæli portas ingressus, orantum
Sideream voces perstrepuere domum.
Spectantis populi stabant nam plena virorum
In toto cælo compita quotquot erant.
Splendida

Splendida quisq̄ suum Christi solius in ora
Cum vultu fixum lumen utrunq̄ tenet.
Quāq̄ venit flores & primi munera veris,
Quas carpsit tenui sparsit & ungue rosas.
Hei quot eū celebres plauso per mœnia Cœli
Quotq̄ triumphantū iubila leta sonāt. (tes
Nilvacuum magno fremitu, plaususq̄ sonan.
Et vultus hitares angulus omnis habet.
Quisq̄ triumphæ canit, noster, letoq̄ favore
Clamat Io Paan, dux, salusq̄ redit.

FINIS.



Summe




Cb. 1849.


ULB Halle 3
004 976 86X



Sb,
Cb 1849.

A. L.





TRIVMPHVS
SERVATO
RIS NOSTRI IESV CHRIS-
TI, EXPVGNANTIS INFE-
ros, Et ascendentis in Cælum: In
Memoriam Nostra Re-
demptionis.

El 3630

ORNATISSIMIS AC SPECTATIS-
simis viris, dexteritate, virtute, sapientia &
humanitate præstantibus, Danieli Ludovico
Vito Gott, ac reliquis inclytæ respub Bern-
burgensis consvlibus, senatoribus, pieta-
tis & gratulationis ergo

A. M. Conrado Schenck
Gravenbergio.



ROSTOCHII
Excudebat Augustinus Ferber Anno
M. D. LXXXII

